

munis Alexandriae, & omnium consortum de Aquexana, qui sunt de concordia Alexandrina, de omni suo cortili, fortia, & castello, & eodem modo ipsum in locum suum posuerunt, & omnes isti &c. juravit, quod nemini aliquo modo alienabunt cortile . . . nisi communi Alexandriae, vel consorti, qui sit de societate Alexandriae sine parabola potestatis, vel consulum, & sine parabola potestatis, vel consulum Aquexanae, & inde omnes isti publicum instrumentum fieri praeceperunt. Interfuerunt testes &c.

Fœdus inter Alexandrinos, & Terdonenses.

118

M C C I I I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. IV, die exeunte martio, indictione VI. (1) in civitate Alexandriae, in palatio consulum ejusdem civitatis, Nicolaus de Fore, Conradus de Occimiano, Paganus de Puteo, Obertus Nata, Ubertus de Fore, Joannes Gratonus, Mussus de Sambuello, Balduinus de Turre, Ruffinus de Bellono, Guido de Plovera, Jacobus de Tebaldonis, Gulielmus de Pelatis, Buccafura, Manfredus de Guascis, Magister Tilus, Ruffinus de Curnilia consules Alexandriae nomine, & vice communis Alexandriae promiserunt, & convenerunt Sigebaldo de D. Buscone consuli communis Terdonæ, & Remuffo de Buxedo consuli populi Terdonæ recipientibus nomine, & vice communis Terdonæ bona fide, & sine fraude attendere ea, quæ inferius scripta sunt, & observare in pleno consilio Alexandriae ad campanam sonatam.

Hæc est forma concordiae factæ inter homines de Alexandria, sive Cesariæ, & homines Terdonæ scilicet quod homines Alexandriae promittunt, & jurant esse cives Terdonæ de cætero, & quod manutenebunt, salvabunt, & gubernabunt, & custodient civitatem Terdonæ, ut omnes homines habitantes in ea, ut proprios cives, & omnes possessiones eorum, munitiones, & castra, quæ, quasve nunc tenent, & possident, & quæ, & quas de cætero acquisiverint secundum infra scriptum modum, & homines omnes, qui sunt, vel erunt de jurisdictione, vel districtu eorum, prout proprios adjuvabunt, & manutenebunt, defendent, & salvabunt, & pro eis facient pacem, & guerram omnibus hominibus, & locis, quibus ipsi Terdonenses facient in emendo equos, & arma, & faciendo exercitus, & cavalcatas, secundum quod pro se fecerunt, vel ipsis Terdonensibus placuerit, & quod non facient pacem, vel treguam recreutam cum illis, cum quibus ipsi guerram fecerunt sine eis, & cum potestas, vel consulatus in Alexandria fuerit, consul, vel potestas jurabit regimen utriusque civitatis æqualiter, & communiter, & omnes qui jurabunt eorum sequelam potestatis, vel consulum Terdonæ sequelam jurare facient. Versa vice homines Terdonæ promittunt, & jurant esse cives Alexandriae, & quod manutenebunt, salvabunt, & gubernabunt, & custodient civitatem Alexandriae, & omnes homines habitantes in ea prout proprios cives, & omnes possessiones eorum, munitiones, & castra,

quæ, quasve nunc tenent, & possident, & quod pro Alexandria pacem, vel guerram, vel fossata, vel communi Alexandriae faciunt, & facere debent, seu facient per conventiones, & cartas inter se factas, & habitas, & quæ, quasve de cætero acquisiverint secundum infra scriptum modum, & omnes homines, qui sunt, vel erunt in jurisdictione, & districtu eorum, ut cives proprios adjuvabunt, manutenebunt, defendent, & salvabunt, & pro eis facient pacem, & guerram omnibus hominibus, & locis, quibus ipsi facient emendo equos, arma, & faciendo exercitum, & cavalcata, secundum quod pro se fecerunt, & eis placuerit, & quod non facient pacem, vel guerram, vel treguam recreutam cum illis, cum quibus guerram fecerint sine eis, & cum potestas, vel consulatus in Terdona fuerint, consul, vel potestas jurabit regimen utriusque civitatis æqualiter, & communiter, & omnes qui eorum jurabunt sequelam potestas, vel consulatus Alexandriae sequelam jurare facient, & specialiter promittunt, & jurant, quod adjuvabunt Alexandrinos ad acquirendum Episcopum Aquensem, & quæ in eis privilegiis continentur, & acquisitum manutenebunt, & retinebunt.

Modus acquisitionis talis est, videlicet quod quidquid acquisitum fuerit pro commune utriusque civitatis in toto comitatu Terdonæ, vel Episcopatu, vel extra fuerit pro commune utriusque civitatis acquisitum, quod Episcopus, vel civitas, vel aliquis civis consueverint tenere a sexaginta annis infra totum Terdonæ sit acquisitum, & quidquid in Episcopatu Aquensi, vel Alexandrino, vel extra fuerit pro communi utriusque civitatis aquisitum, quod Episcopus, vel civitas Alexandriae, vel aliquis civis Alexandriae consueverint tenere a sexaginta annis infra totum sit Alexandriae acquisitum, & quod aliunde in simul fuerit acquisitum sit commune utriusque civitatis, & æqua lance dividant, defendent, & manutenebunt, & hæc onera, ut supra legitur omnes cives utriusque civitatis a quarto decimo anno usque ad septuagesimum annum singulis annis jurabunt semper, & de cetero firmum tenere, & observare, & si quod additum fuerit pro communi utriusque civitatis tenebunt, sicut in superioribus capitulis, & hæc omnia suprascripta prædicti consules Alexandrini juraverunt attendere, & observare bona fide, & sine fraude, ut supra legitur. Sic Deus illos adjuvet, & illa sancta Dei Evangelia unusquisque manu propria, & id sacramentum fecerunt omnes credentarii, unusquisque manu propria. Nomina credentiariorum sunt hæc: Ruffinus Nata, Otto Lanzavetula, Manfredus de Fore, Nata Urli, Rubeus de Parma, Obertus de Soldano, Ruffinus de S. Michaele, Gulielmus de Fenabò, Ruffinus Straca, Ugo Tenca, Manfredus Gualionus, Ruffinus Taurus, Ruffinutius, Balduinus de Guafonis, Henricus Baldus, Ruffinus Scaxavelus, Lecataunus, Henricus Ravarius, Rabaldus Uicia, Ruffinus de Guala, Obertus Fantinus, Bojerius, Gulielmus Belletus, Girolamus Valnazanus, Bavata de Fore, Ubertus Medalia, Bellotus Moises, Mussus Capoanus, Rainerius Buccadelac, Ruffinus Testa, Ruffinus Nata Bergolio, Girardus